

De viro coronario mense Martio Mediolani grassante

Virus¹, cui cognomen *Coronarium*² est et quod *Coronavirus* quoque a medicis vocatur, iamdiu³ Orientalia⁴ oppida petebat ac eorum incolas aegros faciebat: nam illic LX milia hominum aegri erant, quorum milia duo animam efflabant⁵. Haec plaga⁶, autem, ut nos scimus, non modo Orientales, sed etiam Occidentales viros feminasque nunc tangit: Italia enim illo atro gravique viro tenetur. Inter Italos mille homines ad medicos adibant et ex illis centum mortui sunt, quia eorum pulmones male valebant vel ii non bene spirabant. Itaque metus ubique⁷ adest et hoc mense Martio morbi impetus etiam in aliis terris (exempli gratia, in Britannia, Hispania, Gallia Germaniaque) sentitur. Multis hominibus qui aegrotant necesse est habere medicos et lectos, sed non semper⁸ id est facile⁹. In urbe nostra Mediolano ludi¹⁰ sunt clausi et discipuli discipulaeque cum fratribus vel sororibus in suis villis sunt, quod magistrorum scholas¹¹ cum aliis pueris in ludi cubiculis audire non possunt: contagio¹² morbi

¹ *Virus*, -i, n. = virus, malattia.

² *Coronarius*, -a, -um = di corona, a corona, coronario.

³ *Iamdiu* = già da tempo, già da un po' (avv., composto da *iam* + *diu*).

⁴ *Orientalis*, -e = dell'Oriente, orientale (agg.).

⁵ *Animam efflāre* = morire, esalare l'ultimo respiro.

⁶ *Plaga*, -ae, f. = piaga, calamità.

⁷ *Ubique* = ovunque (avv.).

⁸ *Semper* = sempre (avv.).

⁹ *Facilis*, -e = facile (agg.).

¹⁰ *Ludus*, -i = scuola.

¹¹ *Schola*, -ae = lezione.

¹² *Contagio*, -onis = contatto.

fons est. Fortasse¹³ Idibus Martiis ludi rursus aperiuntur, sed nemo hoc scit. Ergo: quo modo nos defendere possumus contra hunc novum hostem qui nostram vitam oppugnat? Arma nostra bona mens et ars medicinae sunt: iis bellum vincere¹⁴ possumus, non lacrimis vel clamoribus. Perterriti pueri et debiles puellae tantum, non viri feminaeque qui habent cerebrum et cor, plorant et horrent!

Datum a.d. VIII Idus Martias

(Delia)

¹³ *Fortasse* = forse (avv.).

¹⁴ *Vinco*, -is, -ere = vincere.